

*Dilecto suo confratri Jo. Goebel Praeses S.D.*

12  
z

EXERCITIVM  
E  
MORALI CHRISTIANA  
DE  
PRINCIPIIS ACTIONVM HVMANARVM,  
EARVMQVE IMPVTATIONE;

---

QVOD  
PRAESIDE

PETRO IOSEPH. WEBER, Presbytero,  
Ss. Theologiae Doctore, sacrae Facultatis Theologicae Adfessore,  
Moralis Christianae Professore publico, ordinario,  
& Pastore in Nieder-Erbach.

Feria III. post Dominicam IVDICA, anno MDCCLXXIX.  
IN ALMO ET ANTIQVISSIMO STUDIO GENERALI  
TREVIRENSI SVBIBIT

*Nobilis, Ornatissimus, ac Pereruditus Dominus  
Ss. Theologiae Studiosus,*

D. IOANNES WILHELMVS WEIMER, Limburgensis ad  
Lahnam, AA. LL. ac Philos. Baccalaureus, Exalumnus, &  
insignis ecclesiae collegiatae, quae ibidem est, Vicarius.

---

*Augustae Treuironum, typis ESCHERMANNIANIS.*

OPPVGNABVNT

*Nobiles, Ornatissimi, ac Pereruditi Domini  
Ss. Theologiae Studiosi,*

- R. D. BERNARDVS MEYER, Badensis, e Scholis piis, AA.  
LL. ac Phil. Magister.  
D. FRANCISC. IOSEPHVS ZENZEN, ex Wallvig, iuxta  
Cochemium, AA. LL. ac Phil. Baccalaureus.  
D. IOAN. BAPTISTA QVARANTE, ex Rodemachern,  
prope Theodonis villam.  
D. IOANNES ADAM, ex Siersberg, ad Sarauum Ludouici.  
D. IOAN. GEORGIVS ORTH, Treuir, AA. LL. ac Phil.  
Baccalaureus.
- 

Doctrina de *principiis* perquam utilis futura est  
etiam latoribus legum; tum ad honores bene  
de republica meritis decernendos, tum ad sup-  
plicia in improbos constituenda. *Aristoteles III.  
Ethic. cap. 3.*

PLVRIMVM REVERENDO,  
DOCTISSIMO, AMPLISSI-  
MOQVE VIRO ac DOMINO,  
D. ALBERICO IOSEPHO  
DORNVF,

INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIATAE, QVAE EST  
LIMBURGI AD LAHNAM, DECANO, SENIORI,  
IVBILARIO, NONNAGENARIO,

IOANNES WILHELMVS WEIMER, E SORORE NEPOS S. D.

*In*ter varias easque saluberrimas praeceptiones, quibus me, OPTIME  
AVVNCVLE, ab ipsa statim pueritia ad omnem vitae pietatem im-  
buisi, cum primis TIBI cordi erat, qua me non ita pridem, cum in col-  
legiata, tui praesides, ecclesia, stationem mihi assignares, ad evangelicas  
philosophiae studium etiam atque etiam incitabas. Quin ut consuetudine  
quadam publica probatum irem, in eadem me profecisse quidquam, non ro-  
gabas modo, sed insuper efflagitabas. — Quid facerem? Senecioni iuuenis,  
Auunculo nepos, Decano subditus morem gessi. Nunc accipe obedientiam. —  
Cum vero TE & amem, & reveream plurimum, atque sic amoris officiique  
erga TE mei munus non habeam, TIBI AMPLISSIME DECANE,  
quidquid est exercitationis, iam dedico; praesertim, quod argumentum etiam  
ipsum ad hoc inuitaret. — Nam christianae pietatis, in qua TV consenuisti,  
gnomones tractat, ad quos vnos referuntur cetera omnia, quae in sacratio-  
re disciplina occurrunt deinceps. — Igitur de pravis animi adfectibus praece-  
pinus, quos TV quidem (si laudare AVVNCVLYM nepoti fas est) de-  
bellasti semper, & tandem veluti seruos rebelles suis ergastulis conclusisti: a  
tenebris assuetus, TEMETIPSUM solerter excutere, atque omne, quod sua-  
serat

serat adfectus, nunquam non suspectum habere.— Porro quae, & quanta in utramque partem conscientiae vis sit, indagauimus: a qua ne latum quidem unguem discedere nemini integrum sit; atque ubi ad conscientiam, quam probabilem dicunt, ventum est; male sana Probabilistarum, quos vocant, dogmata, ceu praepostera Ethices iudicia damnauimus; aliaque euangelica pietate digna, substituimus: quae TE quidem nunquam non amplexum, noui ego, nouerunt & hi, quibus nota est TVA inter tuos conuersatio; quos scilicet, uti patrem decet, ad magis vero similia enitendum esse, exemplo vitae consueuisti prouocare potius, quam praeceptionibus.— At nolo TIBI diutius molestus esse, instar intempestiui conuiuatoris, qui praeter modum laudat, quae adponit: sed quam, ut par est, praesto, accipe deuotionem, BONE SENEX, & bene vale.

Augustae Treuirorum, pridie Dominicam Oculi, anno  
MDCCLXXIX.



## PRAEFATIO.

**E**uangelicae philosophiae prima fundamenta iacturi, ipsam euangelicam pietatem duces sequimur. Bene siquidem perspectum habemus, referre plurimum, quibus principiis in primo ethices limine imbuat discipulos praeceptor; recte hic, secusue doceat, qui vitae aliorum fingendae, ac formandae suscepit prouinciam.— Profecto hac parte si erratum est, vana erunt omnia, quae in schola morum praecipuntur deinceps; illud solum nobis considerantibus, quos non modo in theologia reliqua, sed & in orbe tumultus, quas tragoedias, quae bella excitauerit *probabilismus*, illa haec multorum capitum bellua, & tot monstrorum foetuum foecunda mater.— At nec minus in transuersum acti nobis ii videntur, quos *Rigoristas* vocant; quod fere accidere solet iis, qui nimio zelo abrepti dum stulti vitant vitia, in contraria currunt: scilicet dum Probabilistae cum Gorgonio hircum; hi cum Rufino pastillos olere videbantur, nihil ut medium esset.— Nos igitur in hoc sacro tyrocinio ita versabimur, ut ne, dum scyllam fugimus, in charybdin incidamus; gnomenque, ad quem omnem doctrinae nostrae rationem circa usum probabilitatis exigere oportet, hunc ponimus: *non minorem curam in negotio salutis, quam in rebus seculi collocandam esse*; esse istud praeposterum sapientiae genus, in fortunis esse cautum & callidum; in iis autem, quae sola ad salutem nostram pertinent, non ita multo plus pecude sapere: sapere in his, quae sunt carnis, & in iis, quae sunt spiritus, tanto magis desipere. Quid igitur? docemus, non mundum quidem, ipsumque hominem exeundum esse, ne vbi argumenta apodictica frustra saepe quaesierimus, nos nihil agere oporteat; at praeposteram mortalium curam & philosophiam nominamus, *in opinionem minus vero similem* pedibus discedere, videre meliora, probareque, deteriora sequi.— Iam vero hac moderatione neque conscientias irretiemus, neque malum nodum, quod dici solet, malo cuneo propellemus.—

PRINCIPIIS ACTIONVM HVMANARVM,  
EARVMQVE IMPVTATIONE.

I. Per humanam actionem non intelligimus *quemuis* motum ab homine procedentem \*;

\* Non 1.) actiones facultatum pure corporearum, v. e. sanguinis spirituumque animalium motus. Neque 2.) actiones earum facultatum, quae licet ad mentem vniue pertineant, vel ad mentem & corpus simul; nihilominus necessario agunt, vti sunt intellectus purus, imaginatio, memoria. Nec 3.) eas animi commotiones, quae licet vtplurimum a nobis pendeant; excitantur tamen interdum nobis haud consciis, quemadmodum videre est in ebsiis, dormientibus, deliris ac phreneticis.

II. Sed illum duntaxat, qui prouenit, ac dirigitur ab iis facultatibus, quas humano generi prae brutis creator optimus maximus adtribuit, nempe *qui velut praelucente intellectu ac decernente voluntate suscipitur* \*.

\* Constat enim hominem sic fuisse conditum, vt rationem haberet; qua non solum varias res, quae in hoc vniuerso occurrunt, possit cognoscere, eas inter se te conferre, & harum occasione nouas sibi notiones formare, sed vt etiam possit prospicere, quid acturus sit, quid inde prouenturum sit, colligere, quin & quae peracta iam sunt, an ad regulam congruant, iudicare. Sed addita ei est & voluntas, qua, si vult, potest se se ab hoc obiecto auertere; ad aliud deflectere.

III. *Libero etiam arbitrio* \* Deus hominem donauit, unde & *proemia* & *supplicia* ei sunt proposita. S. Ephrem de vita spir. num. 93.

\* Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilii sui, Eccli XV. 14. Equidem per peccatum Originis non solum voluntas debilitata, verum etiam ratio, ex qua nascitur voluntas, non parum obscurata est; neutra tamen facultas extincta penitus; sic, vt homo diuinis praesidiis instructus, semper se se ad meliorem frugem recipere possit, Vid. Gen. IV. 7. Deut. XXX. 19. Josue XXIV. 15. Ps. XXVI.

XXVI 4. I. Cor. III. 9., VII. 37. Trid. Sess. VI. can. 5. Iis sane, qui nullo modo suae voluntatis compotes sunt, frustra canit hanc cantionem Psalter ille mysticus: *declina a malo & fac bonum, inquire pacem & persequere eam*: quin tota diuina scriptura fere nihil aliud sonat, quam conuersionem, quam studium, quam conatum ad meliora. Haec autem omnia frigeant oportet, semel inducta necessitate vel bene faciendi, vel male. Neque minus frigebunt illae tot pollicitationes, tot exhortationes, tot exprobrationes, tot obtestationes, tot benedictiones ac maledictiones factae ad eos, qui se uerterunt ad meliora, aut qui conuerti recusarunt. Quid? omnis opinio libertati hominis aduersa, doctrinae moralis, ac ipsius religionis flagellum est ac spongia. Fingamus enim, cuncta, quae facimus aut volumus, ad absolutam referri necessitatem; fingamus, nescio, qua vi factorum mortales rapi, mysterium tamen hoc foret, hominum notitiae subtrahendum, ob summam confusionem in genere humano inde oriundam. Pulcrum est S. Clementis *Recogn. ad Loc. frat. dom. Libr. III.* hanc in rem ratiocinium: *Hoc si ueneratur, inquit, (non esse libertatem) conuulsa sunt omnia: frustra erit studium sectandi meliora; sed & iudices seculi frustra legibus praesunt, & puniunt eos, qui male agunt; non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent: uana erunt & iura populorum, quae malis actibus poenas statuerunt: miseri erunt & hi, qui seruant cum labore iustitiam; beati uero illi, qui in deliciis positi, cum luxuria & scelerare uiuentes, tyrannidem tenent. Secundum haec ergo nec iustitia erit, nec bonitas, nec ulla uirtus, & ut vis, nec Deus.*

IV. *Ac legitime quidem hic certantibus honor atque corona; transgressoribus autem & contemptoribus supplicia \* ibid.*

\* Siquidem venturum est tempus, ut omnes, qui mortui sunt & sepulti, audiant omnipotentem uocem filii Dei, atque illico reuiuiscant corpora: & qui mortui fuerunt & humo conditi, e somno uelut exciti, prodibunt e latebris terrae, fortituri credulitatis aut incredulitatis diuersa proemia. Atqui tum filius, cui ius iudicandi uiuos & mortuos tradidit pater, uniuerso mortalium genere in duos ordines distributo, oues quidem placido laetisque uultu salutabit; contra in haedos, hoc est, nocentes ac maleficos sententiam proferet formidabilem; hacque prolata sententia, a qua nulla est appellatio, ibunt, qui a sinistris sunt, in ignem aeternum; iusti autem in uitam aeternam. *Matth. XXVI. 46. Ioan. V. 29. II. Cor. V.*

V. *Quis ergo tam perfidus est & iniquus, ut praeceptorum Deo ruinae suae causam adscribat, ac non potius improbae uoluntati ipsius discipuli \* ibid.*

\* *Beatus Jacobus* hominum peccata non tribuit necessitati ac Deo in nobis operanti, sed ipsorum deprauatae conscientiae. *Deus*, inquit, *neminem tenet, sed unusquisque tenetur a concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Et *Paulus* malefacta hominum vocat opera carnis; non opera Dei, videlicet hoc adpellans carnem, quod *Jacobus* vocat concupiscentiam. Profecto non poterant credere Iudaei, ut *Joan. C. XII.* ait, quoniam prauas cupiditates nolebant abicere; etenim cum tam multis, tamque evidentibus & insignibus miraculis, sub ocalis illorum editis, Dominus Jesus dictis suis fidem certissimam conciliasse debuerit; tamen persistierant in incredulitate sua, nimirum liuore, odio, ambitione, auaritia, ceterisque prauis animi adfectibus excoecati. Recte igitur *B. Hieronimus* in *Pf. XXXI.* ait: *Si peccavi, ego peccavi. ego ego, non factum, non fortuna, non diabolus, quia nec ipse coegit, sed ego persuadenti consensi.* Et *Oseas C. XIII. 9.* *Perditio tua ex te Israel.* Ergo non vi factorum rapimur ad vitia, sed nostrae vitique voluntati adscribendum, quod perimus.

**VI.** Iudicium vero illud, quo bona, malaue voluntas, eiusque consecretaria nobis adscribuntur, *imputatio*\* dicitur.

\* Quae datur vel in proemium vel in poenam; adeoque tam in bonam partem accipitur, quam in malam. vid. *II. Par. XXX. 19. Job XLII 8. Pf. XXXI. 2. Sap. XII. 12. Ezech. XXXIII. 16. Rom. IV. 4. 8. V. 13. II. Tim. IV. 16. Philem. 18.*

**VII.** Quae conclusio e *facto*\* & lege est, atque idcirco vero\*\* *ratiocinio* absoluitur.

\* Actio vel praetermissio libera, singularis, scilicet persona, loco, tempore, ceterisque adiunctis circumscripta presso significatu *factum* dicitur.

\*\* Cuius minor praemissa est: *tu es auctor huius facti*; maior: *Auctori talis facti lex adsignat hoc meritum*; conclusio: *tibi hoc meritum est adsignandum*; seu tu mereris hoc proemium; vel hanc poenam. Iusta igitur erit imputatio, si nec in idea facti, nec in idea legis, nec in utriusque inter se comparatione occurrat repugnantia. Contra fallaciam in imputando committunt, qui vel facto vel lege, vel facti ad legem applicatione aberrant. vid. *Achenwall Introd. in I. N. §. XV.*

**VIII.** Vbi ergo non est lex, nec praeuaricatio (ad poenam imputatio) *Rom. IV. 15.*\* Et nemo pro aucto-



auctore eius actionis haberi potest, quae penes ipsum neque in se, neque in sua causa fuit.\*\*

\* Vbi enim lex non est, frustra eius cum facto fit collatio.

\*\* Nimirum intellectus, voluntas, & libertas, humanae actionis principia defunt. Et vero, nulla alia ratio, quare alicui quaequam actio imputari possit, reddi potest, quam quia ab illo *sciente & volente* est profecta, seu quia ipsum penes fuit, ut fieret vel non fieret.

*Additio.* Ut quid in causa imputari queat, tres conditiones omnino sunt necessariae.

1.) *Vt nexus aliquis intercedat inter id, quod factum aut omissum est, & malum illud, quod inde prouenit.* 2.) *Vt immoruerit hic nexus, ac praevideri effectus probabiliter potuerit.* 3.) *Vt aliqua adfuerit obligatio non faciendi id, quod tali effectui occasionem dedit.* Vna ex his conditionibus deficiente, deficit & imputatio. Concurrunt singulae eo casu, quo quis cocta calce in via regia, calceariam tegere assensibus, aut cancellis munire neglexit, ne quis forte noctu illabatur. Deficit prior conditio in sententia a *Cu. Pisone* lata, cuius meminit *Seneca de Ira Lib I C. XVI.* Pertinet & *huc fabula de lupo & agno* eodem fonte bibentibus. Decisset altera conditio, si quis lata a virganeula, quam adamabat, repulsa, se prae moerore laqueo suffocaret. Desideratur tertia conditio, si quis in propria area calcem coxerit, & vero fur, cui nihil ibi erat negotii, noctu in calceariam incidat; habeat is sibi!

*IX. Ergo tibi non imputatur ad culpam, quod inuitus ignoras\*. S. Augustin. de lib. arbit. L. III. C. 19.*

\* *Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. Iacob. IV. 17.* Hinc tritum illud: *vltra scire nemo tenerur.* Huc pertinent eorum actiones, qui rationis vsu destituntur. 1.) *Infantium,* antequam vsus rationis paulo distinctius incipiat se se exserere. Atqui tamen hi ob suas actiones subinde vapulant! & verberibus ac pudore ceu impressione sibi facta, docentur cauere; ne, quod semel deliquerunt, repetant. 2.) *Dormientium;* eae nimirum actiones, quae nulla vitiosa occasione, sed tantum naturali corporis accidunt adfectione, nec vllus successit adfensus. Nam phantasia in somno est veluti cymba sine rectore fluitans. 3.) *Ebriosorum.* At ebrietas vltro arcessita actionibus odium & vituperium conciliat, easque in causa imputat. 4.) *Furiosorum; delirorum &c.*

*X. Sed quod negligis\* quaerere, quod ignoras. ibid.*

\* *Qui enim excusationem possit praetexere vllam, qui impingit in meridie, quod oculos nolit attollere? Profecto videre nolentis; non lucis est culpa, quae, quantum in ipsa est, illustrat omnes. Sic Iudaeorum malitia factum est, ut lux, quae*

credentibus adferebat vitam aeternam, his maioris coecitatis esset occasio; ut Messias eum peculiariter ad suam gentem venisset, cui tot prophetarum oraculis erat promissus, cui tot figuris fuerat adumbratus, cui tot seculis fuerat expectatus, quae vidit edentem miracula, quae docentem audiuit; tamen adeo non est receptus a suis, ut quibus peculiariter saluandus venerat, efferatis ii animis exitium moliti sint: & mortem machinarentur innoxio, qui gratis vitam adferebat; sane videntes non videbant, & audientes non audiebant, & intelligentes non intelligebant, qui peruerso studio coarcebantur in eum, quem lex promiserat,

XI. *Nemo etiam peccat in eo, quod caueri non potest* \*. *ibid.*

\* *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus. Eccl. LI. 10.* Inde axioma: *ultra posse nemo tenetur*, seu quod naturae est, non imputatur ad meritum. Ita per vim stupratae non imputatur, quod est passa; & generatim non imputantur illa omnia, quae proueniunt ex necessitate physica, aut quibusuis causis extra hominum potestatem positis. Vnde stultum est, quod de regibus *Mexicanis* traditur, eos sub regni initium promittere subditis, ut sol iusto tempore orietur & occidat, ut pluuiae, quando opus est, cadant, ut terra fruges proferat, cetera.

XII. *Circa prauos animi adfectus* \* *scire oportet, nullos esse tam violentos, quin a ratione & compesci, & ad virtutem deflecti queant* \*\*.

\* *Nemo nescit in suo pectore, ceu in factiosa quadam republica, eos esse animi motus, qui a rationis decretis quam maxime dissident, suntque infime ad pecorum humilitatem abiecti, cuiusmodi sunt libido, luxus, inuidia, hisque consimiles animi morbi, quos prauos adfectus dicimus, qui peruerso rerum ordine rationi praecire certant.* Corpus quidem, ut est ipsum visibile, rebus visibilibus delectatur, ut est mortale, temporalia sequitur, ut est graue, deorsum fidit. Contra anima generis aetherei memor, summa vi sursum nititur, & cum terrestri mole luctatur, contemnit ea, quae videntur; scit enim esse caduca, quaerit, quae vera sunt, quae semper sunt; immortalis amat immortalia, coelestis coelestia. Adeo verum est, quod superne diuinum animal homo, plane in pecudem desinat! — Porro in diuersis diuersos adfectus videas. Est hic quidem propensior ad voluptatem, sed nequitiam iracundus, nequitiam inuidus: est alius incorrupta pudicitia, sed elatior, sed iracundior. Quae quidem differentia non ex animorum discrimine, sed vel ex influxu coelestium corporum, vel progenitoribus, vel ex educatione, vel ex ipso corporis habitu proficiscitur. Sunt vitia quaedam pene gentilia, quemadmodum gentibus nonnullis perfidiam aiunt esse familiarem, aliis luxum, alijs libidinem. Quaedam corporis habitum comitantur, sicut sanguineos mulie-

mulieriositas, & voluptatum amor: cholericum ira, ferocitas, maledicentia, phlegmaticum inertia, somnolentia: melancholicum invidia, tristitia, amaritudo. Nonnulla cum aetate aut reinittuntur aut inualefcunt, quemadmodum libido in iuuenta, item profusio, & temeritas: in senecta tenacitas, morositas, auaritia. Sunt & quae sexti videantur adnata, vt in viro ferocitas; in muliere varitas & vindictae cupido &c. &c. Vide sis *Carthesium de passionibus*, & *Home Grundsätze der Kritik I. B. I. Theil von Gemüthsbewegungen und Leidenschaften*.

\* \* *Sub te erit appetitus eius, (peccati) & tu dominaberis illius. Gen. IV. 7.* Quin animi motus ad turpia vinci posse, nec adferre necessitatem peccandi iam Ethnici agnouere. Nemo, ait *Horacius Lib. II. Saryr. VIII.*, adeo ferus est, vt non mitescere possit, si modo culturae patientem accommodet aurem: & *Socrates ap. Zenophontem Lib. I*: *mibi quidem videtur, omnia bona atque honesta homines exercitatione consequi posse*; quod & ipse opere ostendit; cum enim natura mulieriosus esset, perfecit tamen, vt nullam libidinis vestigiū in eo deprehenderetur vquam. — At difficile est, inquit, quod praecipis? quis negat? atqui verum est illud apud *Platonem* adagium, *quae pulchra sunt, eadem esse & difficilia!* quin difficilius nihil, quam vt quis se ipsam vincat; sed nullum maius proemium, quam beatitudo. Praeclare illud *Hieronimus*, vt cetera omnia: *Nihil Christiano felicitius, cui promittitur regnum caelorum, nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur: nihil fortius, quam qui vincit diabolum: nihil imbecillius, qui a carne superatur: si tuas perpendere vires, nihil difficilius, quam carnem subigere spiritui: si Deum auxiliatorem respexeris, nihil facilius.* Profecto nihil vquam vehementer sibi imperavit humanus animus, quod non effecerit, neino ad bonam mentem certo animo contendit, qui non peruenit; quod aditu videbitur inexpugnabile, id fiet successu mollius, vsu facile, consuetudine etiam iucundum. Scitum est illud *Hesiodium*: *arduum esse initio virtutis viam; verum vbi ad cacumen erepseris, tutissimum otiam te manet.* Tu modo iugenti animo perfectae vitae propositum concepe, conceptum vrge.

### XIII. In hoc autem prima victoriae spes sita est, *se noris te ipsum* \*.

\* Quod sane omnis sapientiae caput est; adeoque in his paucis verbis omnem virtutis vim summam contineri, credidit antiquitas, & scriptura non vno in loco adinonuit. Minatur sponsae suae mysticus ille amator in *Canticis*, ac foras abire iubet, nisi semet cognorit: *si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* — Profecto quid incogitantius, quid inscitius, quam quae procul fiunt, & ad te nihil attinent, inuestigare; quae vero in tuo pectore getantur, & vel sola ad te pertinent, de his ne cogitare quidem. Narras mihi tumultus *Britannicos & Borussicos*; narra magis, quid in tuo pectore tumultuentur irae, invidia, libido, ambitio, maledicentis: quam prope iam istae sub iugum missae sint, quae spes victoriae, quanta belli pars profligata, quam in-

*structa ratio.* — Nimirum hoc opus, hic labor est, semetipsum sibi ponere ob oculos; omnes animi latebras excutere penitus; semetipsum explicare; quid intus, quid in cute sis, plane pernoscere; rationis, perturbationumque discrimina nosse: motuum origines & mirabiles anfractus peruidere: *Originarios & dominantes*, quos dicimus, cum *deriuatis* non confundere &c. Est scilicet hoc studium inter alia omnia longe difficillimum, cui nunquam satis in omni vita incumbere possumus.

#### XIV. Porro magnopere cauendum, ne quam passionem velut leuem contempnas\*.

\* Nullus enim hostis vicit saepius, quam qui fuit contemptui. Qua in re non pauci mortalium falluntur misere, & se ipsos fallunt, dum sibi in vno, aut altero vitio conuiuentes, quod pro suis quisque moribus veniale putat, reliqua grauius execrantur. Bona pars eorum, quos vulgus integros, atque incorruptos adpellat, haeresin, furtum, rapinam, adulterium, incestum oppido detestantur; at *linguam licentiosam*, qua damnare omnes, viros pietatis euangelicae studiosos lacessere, magno supercilio alienae vitae censuram exercere, in eamque rabiose declamitare non verentur, vt leue commissum nequitiam refugiunt; manifesto argumento, istos ne reliquas quidem virtutes vere possidere. Quorum sane vitia tanto sunt periculosiora, quanto magis virtutem imitari videntur.

#### XV. Semper autem hoc animo, atque hac spe dimices, quasi ea pugna sit tibi postrema futura, si victor discesseris; at rursus vbi viceris, sic te geras, quasi mox in praelium rediturus\*.

\* Fieri sane posset, vt istud proemii tuae virtuti largiatur benignitas diuina, vt hostis semel turpiter victus, nunquam te postea repetat, id quod legimus, piis aliquot viris iam contigisse: ergo in conflictu aude perpetuam sperare pacem. At vbi viceris, alia post aliam expectanda tentatio, neque vnquam discedendum ab armis: nunquam relinquenda statio, nunquam remittendae excubiae, donec in hoc corporis praesidio militamus.

#### XVI. Quodsi quando te contigerit adfectui succubuisse, caue, ne protinus abiecto clypeo, relictis armis, hosti te dedas\*.

\* Id quod non paucis accidere solet, quibus animus est natura imbecillior & muliebrior, vt semel prostrati desinant reluctari, se seque totos permittant adfectibus, neque

neque cogitent de recuperanda libertate. Nimis quam periculosa est ista pusillanimitas, quae cum interdum ingenii non pessimis adiuncta sit, tamen ad id, quod est omnium pessimum, solet adducere, nempe ad desperationem. Adversus hanc igitur, hac regula communienda mens est, ut lapsi in peccatum, non solum non desperemus, sed gnavos milites imitemur, quos non raro pudor ignominiae, & accepti vulneris dolor, non modo non coniecit in fugam, verum ad fortius, quam antea, pugnandum acuit, redintegratque. Itidem nos quoque, simul atque in capitalem noxam fuerimus inducti, illico propertinus redire ad cor, & lapsus ignominiam, nova virtutis alacritate sarcire.

## XVII. Consuetudinis equidem terribilis vis est\*, sed non tanta, ut hominem ad agendum cogat\*\*.

\* Illud nimirum perpendenti, ex quam multis quam pauci a peccandi facilitate, crebra actione comparata, vere ac toto pectore respiciant; praesertim ex iis, qui funiculos iniquitatis in extremum usque vitae protraxerunt. Quin ubi pudor semel corrui, infelicissimus animi stupor sequitur, quo fit, ut mali sensu careant, & nulla iis ruina amplius deformis sit, dicente Scriptura: *impius cum in profundum venerit, contemnit*: stupentes mors occupat corporis, quam mors excipit secunda. Itaque in vitium inclinatis animis semper erit formidanda impenitentia, malorum extremum. Lubricus quidem & facilis in turpitudinem lapsus, sed hinc reuocare gradum, superasque euadere ad auras, hoc opus, hic labor est. Proinde quisquis es peccator, cogita negotium e negotio feri, vitium vitio inuitari, & vel *birici Aesopici* casu admonitus, priusquam in peccati puteum descendas, cogita, non perinde facilem esse reditum.

\*\* Enimuero satis constat, eandem supprimi debilitarique posse. Quippe nullum animal tam ferum, quod non mansuescat humana cura, & nemo hic non vincit, nisi qui vincere noluit. — Omnium autem consuetudinum deiciendarum hic modus est: 1.) eius prauitatem, & ad perniciem vim certa ratione agnoscamus. 2.) Sedulo caueamus occasiones actionum suscipiendarum, quae ad eam consuetudinem pertineant. 3.) Quia non possunt eae semper vitari, & saepe praeter opinionem incidunt, adhibeamus non modo illud propositum, & illam cautionem, nihil temere & non satis cogitate faciendi, sed etiam ardorem illum & studium omnia ad veram felicitatem & virtutem referendi. 4.) ubi intermissione aliqua ex parte iam debilitata est consuetudo, quaeramus occasionem edendae actionis, his plane contrariae, quibus consuetudo orta est, hoc est, mutatis rerum vicibus, quod malo amabamus, odisse, fugere, horrere incipiamus; & dulcescat adfectui, quod modo fel sapiebat. Ita demum sanitatis argumentum accipio; ita demum prava consuetudo paulatim debilitabitur & tandem debellabitur; quin contraria, virtuti-que consentiens parabitur.

XVIII. Quin ii, qui in foeda libidine iam consenuere, non sunt plane bona spe priuandi\*.

\* Quod nos edocet vel sola *Magdaleneae*, quae erat mulier in ciuitate peccatrix, & tota quanto in libidines effusa, metamorphosis. — Quae vero te a carnis illecebris tutum reddent, haec fere sunt: primum occasionum cauta ac diligens fuga; haec nimirum potissimum sunt illae fieneles, quas haud fere quisquam euasit, nisi qui procul aufugit. Deinde victus & somni moderatio: temperantia a voluptatibus etiam permisis. Contemplatio malorum, quae libido non in animo solum, sed & in corpore gignit: videlicet nos diuinum plasma non pecudibus modo, verum etiam subibus, hircis, canibus, & brutorum brutissimis sequat, imo infra pecudum conditionem deicit, qui sumus ad angelorum consortia, ad diuinitatis communionem destinati. Sed & corporis simul & vires & speciem interimit, morbos innumera- biles parit, eosque foedos; iuuentae florem ante diem deuenustat, tristem senectam accelerat &c. &c. Iuuant & ista, si cum castis & integris convixeris, si corruptorum & mollium colloquia, veluti pestem quandam vitaris; si solitudinem otio- sam & otium ignauum fugeris, sed animum coelestium rerum meditatione, ho- nestisque studiis grauitate exercueris: maxime vero si sacrarum literarum vestigationi & philosophiae euangelicae toto pectore te consecraris. Si & frequenter & pure oraueris maxime irruente tentatione, quo quidem remedii genere inter alia non sine fructu se vsus B. *Hieronimus* scribit *Ep. XXII ad Eustochium virginem de Cu- stodia virgin.*: „ O quoties, inquit, ego ipse in eremo constitutus, & in ista  
 „ vasta solitudine, quae exusta solis ardoribus, horridum monachis praestit habit-  
 „ taculum, putabam me Romanis interesse deliciis! sedebam solus, qui amaritu-  
 „ dine repletus eram. Horrebant faeces membra deformia, & squallida cutis fi-  
 „ tum aethiopicæ carnis obduxerat, quotidie lacrymae, quotidie gemitus; & si  
 „ quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa haer-  
 „ rentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi  
 „ aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui  
 „ ob gehennae metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum soci-  
 „ us & ferarum, saepe choris intereram puellarum. Palliebant ora icitoniis, & mens  
 „ desiderii aestuabat in frigido corpore, & ante hominem sua iam carne praemor-  
 „ tatum, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad  
 „ *Iesu* iacebam pedes, rigebam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem  
 „ hebdomadarum inedia subiugabam. Memini me clamantem diem crebro  
 „ iunxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, do-  
 „ mino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitatio-  
 „ num mearum consciam pertimescebam, & mihi inter iratus & rigidus, solus de-  
 „ ferta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium praerupta  
 „ cernebam; ibi meae orationis locus, ibi illud miseritiae carnis ergastulum: &  
 „ vt ipse mihi testis est dominus, post multas lacrymas, post coelo inhaerentes  
 „ oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, & laetus,  
 „ gaudensque cantabam: *post se in caeterum vultuum tuorum surreximus.* *Lege sis*  
 „ omnino totam epistolam. *Addi-*

*Additio.* Sacris oratoribus non possumus non etiam atque etiam inculcare, quasdam esse scelerum species, quas non expedit apud populum traduci, sed expedit ignorari. Quod genus sunt prodigiosae libidinum formae, quas nimis adcurate reprehendisse, est docuisse. Est enim curiosum ingenium hominum, & natura per occasionem proclivius ad malarum rerum experientiam; quin quorundam flagitiorum etiam ipsa commemoratio contagium habet. Quam igitur ineptum est in concione, quae pueros habet & virgunculas, huiusmodi monstrorum imperitas, & quibus praetate reliqua insita est vitiosa curiositas, titillans animum cognoscendi libidine, scelera magis pingere, quam commemorare, quasi vero magna scientia sit, ista mysteria tam exacte nosse, & quasi propositum sit ea non tam detestari, quam docere! Quanto satius est, eorum consulere simplicitati & innocentiae, qui nunquam erant suspicaturi, tam horrenda monstra inter Christianos inueniri; quanto satius est, in genere crimen proponere, nec id absque horrore & abominatione tamen, & quod ab initio dicendum erat, doctrinam praemittere, quae persuadet, esse nefarium, quod reprehenditur, & simul ostendit viam, qua possint corrigi veneris serui.— Sed & ii, qui populo christiano a confessionibus sunt, summo-  
pere caueant, ne curiose percontantes, quae non oportet, & sciscitantes non sciscitanda, inficiant itidem simplicitatem illam & innocentiam naturalem, qualem videri in pueris ac puellis iam diximus, nondum infectis huiusmodi corruptelis; ne, cum medicos agunt, fiant magistri-turpitudinis. Quanquam de hoc alias.

**XIX.** Neque vero alii solum recte aut male facta nobis imputant, sed & *in ipso homine quidam est bonorum, malorumque facinorum iudex & index* \*.

\* Nimirum vis rerum nexus perspicendi, & de propriarum actionum honestate vel turpitudine ratiocinandi, nobis a supremo numine tribuitur; froentum quidem ante-peccatum, quia infixi nobis eius rei auersatio est, quam natura damnauit: flagrum post peccatum, quia perfecto demum scelere, magnitudo eius intelligitur. Atqui de hoc iudice S. Joannes loquitur, dum I. Ep. III. 21. ait: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Et Isaias XLVI. 8., ubi praeuaricatores iubet ad cor redire. Scilicet alius fortasse alium; se ipsum nemo deceperit; introspeciat modo vitam, seque quid mereatur, intelliget.

**XX.** Atqui iudex ille conscientia\* nostra dicitur; quae recte ab Origene finitur: *Spiritus adfectuum corrector, & paedagogus animae sociatus, ex cuius testimonio iudicabitur quisque, cum Deus iudicabit occulta hominum* \*\*.

\* Quasi sui scientia, siue certissima scientia & veluti certitudo eius rei, quae animo nostro inest, siue bona sit, siue mala. Consule *Calepinum*. Et magna sane conscientiae vis est in utramque partem, ut neque timeant ii, qui nihil admiserunt, & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt. *Bona* enim conscientia, siue *secura mens*, est quasi iuge conuiuium *Prou. XV. 15*, semper metu vacua, quam si fractus illabatur orbis, impavidam ferient ruinae. *Mala* autem etiam in solitudine anxia & sollicita est; violati quippe naminis aut perperam culti tristes cogitatio & perpetuus morsus, *condemnationis datus testimonium. Sap. XVII. 10.*

\*\* Testimonium illis reddente conscientia ipsorum (Ethnicorum) & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die, cum Deus iudicabit occulta hominum. *Rom. II. 15. & 16.*

*Additio.* Quandoquidem conscientiae diuisiones, quae in *Calistis*, quos dicimus, profstant, plerumque parum adcuratae sint, & vero haec materia tamen maximi fit momenti, eandem dabimus nunc paulo distinctius. 1.) Ergo distinguere oportet iudicium mentis ante actionem & eiusdem iudicium post actionem: id quod *Calistae* conscientiam antecedentem & consequentem (das vorhergehende, und nachfolgende Gewissen) satis commode adpellant. Subinde posterius tantum se prodit iudicium, cum nempe, quod saepius euenire solet, ad actionem nullo praeciuo examine, futurane sit bona vel mala, acceditur. Sin ambo adsunt iudicia, erunt fere semper conformia, praesertim cum contra proprias quis notitias egit. *Disformia* tum erunt, cum indole actionis non satis perspecta, siue ex adfectu actum est; facilius enim patrat facinoris, quam patrandi commouet repraesentatio. Atqui haec diuisio tanto magis notanda est; quod conscientia antecedens non item consequens peccatorem efficiat. 2.) Pro gradu persuasionis, in qua quis versatur de actionis patrandae honestate vel turpitudine, conscientia est vel decisiva, vel irresoluta (das entschlossene, unentschlossene) Illa in certam & probabilem (in das gewisse, und wahrscheinliche) subdiuiditur; prout nimirum argumentis certis, aut vero similibus tantum nititur. Haec aut dubia est, aut scrupulosa (das zweifelhafte, zuielaeungstige) quae nempe siue propter graues rationes, siue ex leuissimis, inanibusque quibusdam difficultatibus praeter modum anxia, utram amplectatur partem ambigit. 3.) Saepae praeposteris vicibus errori nomen virtutis ponimus & contra; per aetatem vel imperitiam iudicantes, nullum esse delictum, quod crimen est capitale; contra putantes hoc esse crimen, quod crimen non est: atqui inde conscientiae in rectam & erroneam (das richtige, und irrige) oritur diuisio.— Diuisiones reliquas satis adcurate exposuere *Calistae*, quos vocant, nihil ut hic addendum videatur.

XXI. Huic poedagogo nemo vnus refragabitur, dicente *Paulo Rom. XIV.*, omne, quod non est ex fide peccatum est\*.

\* Siue.



\* Sine, ut ait cap. 13. de Restit. spol., quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam. Quin inferos suos iam apud superos patiuntur, qui conscientiam minime verentur; vrit enim, caedit, lancinat; eo grauius, quia sine morte. Graecorum adagium verum: *ἡ συνείδησις τὴν ψυχὴν πλάττει*, conscientia animum verberat; & quidem assiduo illo & surdo verbere. Namque animus impurus Deo infestus & homini, neque vigiliis, neque quietibus sedari potest. O igitur miserum te, si contemnis conscientiam! etiamne erroneam? etiam; Tanta nempe conscientiae vis est! Cave tamen, inferas, actionem esse licitam, statim atque illam lege permissam existimas, vicunque hoc in animum induxeris; quae quidem multorum impia vox est: *woraus man sich keine Sünde macht, das ist auch keine*. Duas ergo regulas, cuius faciles, vehementer inculcamus. 1.) *Noli sequi conscientiae tuae motus, nisi praedicari & subiecti distinctam habeas ideam*, h. e., ea perspicacia sis instructus, quam praesentis negotii efflagitat diiudicatio. 2.) *Vide sis, num in actione, quam suscipiturus es, auctoritas & exemplum iam tibi praecesserit*. Profecto mercator, posteaquam fasque nefasque cumulandae rei studio saepe miscuit, deprehenderet utique se se procul abesse ab officio Christiani, si se subinde ac serio examinaret, & vel prima iuris naturalis principia peccato animo mediteretur.

XXII. *Vnde in dubio salutis nemo ad actum profiliat;*  
\* *Clerus Gallican. in Reg. de Probab. usu an. 1770.*

\* Nam nondum discussa dubitatione ad agendum se se determinare, an non est conscientiam susque deque habere? & nonne haec praepostera agendi ratio propositum peccandi, aut saltem neglectum legis intulit? Nimirum perinde est, ac si dicam: *mibi quidem non constat, an haec actio legi repugnet, nihilominus siue repugnet, siue non, eandem suscipiam tamen*. Porro qui periculum amat, dignus est, qui in illo pereat. Atqui hanc veritatem iam Ethnici philosophi tradiderunt. Cicero de Officiis I., *Bene praecipunt, ait, qui verant aliquid fieri, aequum sit, an iniquum.*; dubitatio enim cogitationem significat iniuriae. Igitur quamdiu anceps haeret iudicium, quid expetendum, quid fugiendum sit, actio erit suspendenda. Vid. *Cartesius de Passionibus art. CLXX. & Puffendorf de I. N. G. L. I. C. III. §. 8.*

XXIII. *Nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deposito. ibid. \**

\* *Dicente scriptura: rationale obsequium vestrum; & iterum: sapiens timeet & declinat à malo; stultus transiit & confidit.* Postremo audiatur apostolicum illud: *omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Denique testimonium reddente conscientia ipsorum, non aliorum visus, sed ipsorum & sua. *ibid.* Igitur quisquis dubiam habes conscientiam,

scientiam, omnem dabis operam, ut dubio quantocius sublato, ad conscientiae certae apicem, quantum quidem in hoc mortali corpore licet, & rerum moralium indoles patitur, pertingas. Iam vero sapientiam postules a Deo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; a cuius luce non excluditur Schyta, non Iudaeus, non Hispanus, non Gothus, non Britannus, non reges, non serui. Porro non sis sapiens apud teipsum, sed quos suae ecclesiae Christus dedit, magistros adi. Scilicet consulat sibi quisque, ut sacerdotem, cui se curandum credit, idoneum deligat; nec facile mutet, quem semel bonum expertus est.

XXIV. *Quod vero in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorum eligendam iudicamus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis & notis auctoribus postremo\* demum seculo proditum, & ab eisdem pro morum regula positum, repugnat huic effato a patribus celebrato: quod ubique, quod semper, quod omnibus; nec habere potest christianae regulae securitatem\*\* ibid.*

\* Originem probabilismi Caramuel in suo Apologemate e coelo repetit, eiusdemque parentem Luciferum ait, qui erectus aduersus maiestatem conditoris, praecipuus datus est ad infima, dum opinione minus vero simili deceptus, molitur occupare summa. Petro e coelo eundem in paradysum terrestrem descendisse, cuius lenociniis doemon vsus, probabiliter Heuae suavit, quod diua futura sit, simul atque arboris interdictae foetum gustasset. Non multum renitor. Id tamen probabilis generis, de quo iam sermo nobis est, primum prodit seculo XVI. ad finem declinante; postquam nimirum subtilitates, abstractiones, speculationes, commentatiunculae, opiniunculae, excusatiunculae, distinctiunculae, quae iam pridem, iusto quidem Dei iudicio, scholam morum inuaserant, eidem praelusissent. Tum enim in medium prodibant magistri prurientes auribus; a veritate quidem auditum auertentes, ad fabulas autem conuersi; ad tristes fabulas, quarum ultima scena ne iam quidem clauditur. Vid. doctissimus P. Ignatius Camargo S. J. Praefat. in Regul. honestatis moral.

\*\* Hoc initium malorum esse, atque omnium corruptelarum caput, hoc in censuris apologiae Casuistarum ab antecessoribus nostris viris fortibus ac religiosus (in synodo Nationali Parisiensi an. 1656.) censorie notatum, hoc saepe reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incusante, imo bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Clerus Gallican. ibid.— Profecto nonne is in plena meridie caecutit, qui lumini, quod habet, clariori obscurius anteponit? dicam audacius; quis neget, delirare, desipere, insanire

insanire eum, qui contra naturam & suam intellectus, imo contra proprium instinctum, videns meliora, probansque, sequitur deteriora; atque hac plus quam pecunia agendi ratione, brutorum brutissima vincit? Quid hoc est aliud, quam plenis buccis aduersus Deum rabiose declamitare: *recede a nobis, quia scientiam viarum tuarum nolumus?* & quae, quae, quae, religio, quae philosophia sapere in his, quae sunt carnis, & in his, quae sunt spiritus, tanto magis desipere? Paulus vult nos esse sapientes, sed in bono; simplices autem in malo: secundum Jacobi monita sapientiam ardentissimis votis oportet a Deo postulare, & iuxta sapientem, & diuinis scripturae venis veluti thesauros effodere. Imo vero nihil fere aliud Christi philosophia clamat, quam studium, quam conatum ad meliora: Sane prudens aedificator non nisi ab optimo opere petit exemplum; & pictores optimas non nisi tabulas sibi proponunt; eamque libram eum spuriam reiecit omnes, ubi pondus minus maiori praeponderat — Et vero, si probabilissimus in iure agendorum locum habeat, cur in iure credendorum non item? nonne decalogus & symbolum vnus eiusdemque euangelii partes sunt? quid respondes, Probabilista, mihi, quid Protestanti, quem ad sacra nostra velles perducere? ais, eius religionem esse prorsus improbabilem? haec quidem mihi, & cuius viros Catholico sunt verissima; Protestanti non item; cuique enim, vt verbis vtar Ciceronis, *suus error est probabilis*: & Augustinus Lib. III. contra Julianum C. 3. *numquid est haeresis*, inquit, *quae non veritatem se nominet?* Protestantem obligas ad veritatis indagacionem, ne se periculo erroris & sic damnationis exponat? id rectissime quidem; sed tum ille: non minus damnari eum, qui malis moribus, quam falsa fide fuerit; sibi que esse indubitatum, fidem sine moribus fide dignis adeo nihil iurare, vt etiam in cumulum cedat damnationis. Quin suae religionis errorem ei ostenderis? probabilitatem, quam vocant, *extrinsecam*, i. e. auctoritatem & exemplum adpellabit, formabitque solenne tibi, cuiusque consortibus rationum: quod liceat ei sequi aliorum piorum non minus, quam doctorum virorum opinionem, licet ea sibi minus probabilis, imo falsa videatur. Negas, in religione Protestantium esse viros probos; quod non habeant veram fidem? replicabit ille: sibi saltem multos pios videri; fidem vero adhuc in quaestione esse. — Vides, mi Probabilista, in quanta praecipitia abiiciatur peruersa animi indoles, si opinandi froenum laxetur! secus si, quod in literis suadet Fabius, idem & in virtutis faciamus disciplina, hoc est, statim ad optima seu magis vero similia enitatur; tum enim multo citius adparebit falsitas haereticorum dogmatum, atque patebit catholica veritas. Reuera enim id teneo, & credo firmiter, nunquam probabiles esse haereticorum errores; sed id contendendo, Probabilistarum principiis inhaerendo, difficilius hanc improbabilitatem, falsitatemque detegi.

*Additio.* Magis vero ad terrenos adfectus doctrinam euangelicam detorquent Probabilistae ii, quos *Reflectentes* vocant: qui nimirum coelum terrae miscentes, libertatis suae possessiunculas iactant aduersus Deum, ceruicemque erigunt. Atqui horum duces Terillus & Diana erant. (qui vltimus adpellari meruit *lucerna probabilismi splendidissima*, casu scilicet mundi aetas, luna theologiae moralis, agnus, qui abstulit pecora mundi). Nempe ad tribunal Probabilistarum se sistant Deus & Homo: ambo

sua

sua iura exponunt; & hominis quidem iura minus vero similia adparent: atqui tamen in fauorem humanae libertatis sententia fertur! quare? quia in dubio melior est conditio possidentis. Horrescis? exalbescis? respondet Terillus *Tract. de Conscientia prob. Quaest. XXIII. num. 48. pag. 426.*: eandem regulam aequè fauere Deo contra nos, ac nobis contra Deum: fauet nobis, quamdiu sumus in possessione libertatis: fauet Deo, quando lex est in possessione. Quod quidem probabilitatis genus tanto magis auerfamur, quia non esse pugnandum cum superis, gigantum monet fabula.

## XXV. Iure igitur summi in ecclesia praesules huic monstro horrendo & informi\* lumen ademerunt\*\*.

\* Quod probabilismus multorum capitum bellus sit, negabit nemo vnus, qui propositiones damnatas, quas dicimus, ceu totidem monstrosos illius foetus, vel leui oculo aspexerit. Vide *Ordinat. nostri Serenissimi pro studio gen. Treuirensi pag. 8.*, in asterisco sequenti descriptam.

\*\* Postquam scilicet probabilitatis regnum cum in cathedris, tum in libris impressis iam viginti & amplius annos securius durasset, an. 1642. contra illud vbique claficum canitur. Hoc igitur anno *Ven. Ioannes de Pallafox ad Innocentium X.* piissimas dedit literas, vt nouae huic morali aggerem adponeret; *Clerus vero Gallicanus* vetuit libros Probabilistarum omnes, eo quod ad molitiem & dissolutionem morum homines inducerent, aequitari naturali & iuri gentium aduersarentur &c. Atqui haec praecudia erant istius belli, quod Probabilistis iam iam imminabat. Nam an. 1656. Pastores *Rorbomagenses & Parisienses Clero Gallicano*, in synodo nationali *Parisiis* congregato, plurimas positiones e Probabilistarum libris descriptas, easue cum evangelica pietate pugnantes, damnandas offerebant; quarum lectio, teste *Ill. Godeau Venicensi Episcopo*, qui huic conuentui intererat, talem parvibus terrorem incussit, vt vellent sibi aures obturare, quemadmodum Patres concilii *Nicaeni*, ne *Arii* blasphemias audirent: quisque zelo ardebat, reprimendi infelicium scriptorum audaciam, qui tam aperte regulas euangelii corrumpere, eamque moralem inueherent, cuius vel honestiores *Paganos* puderet, & *Turcae* ipsi scandalo eandem haberent. Ergo ad *Alexandrum VII.* supplices dedere literas, vt hanc nouam morum doctrinam e toto christiano orbe eliminaret; qui etiam an. 1665. viginti octo, & sequenti decem & septem abominandas theses proscripsit, atque initio Decreti flebilibus modis ita fatur: non sine magno animi sui moerore se audiuisse, summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepserit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianae vitae corruptela. Ad huius decreti promulgationem, Probabilistae quasi fulmine tacti obstupuerunt omnes; & multi quidem percutientes peccata sua reuertebantur. Contra alii audaciores effecti, eam sententiam, quae magis ad veritatem accedit, ceu *tristem, rigidam, imo Iansenianam* impie traducebant. Teril-

Terillus quidem in Praefat. ad Regulas morum non dubitauit ita scribere: Haec aduersariorum (qui sequuntur magis vero similem, adeoque in virtutum via progrediuntur) sententia una cum Iansenismo nata est, imo aliam morrem non agnoscit, quam haeresim Iansenianam &c. Verum frustra declamitarunt. Siquidem an. 1679. Studium generale Louaniense integrum reinstituarum positionum fasciculum, comburendum utique, Innocentio XI. misit; qui 2. Martii eiusdem an., propositiones 65. proseripit, & earum quamlibet, ut minimum tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam reprobauit, damnauitque. Vid. Decretum prohibitionis. ap. Viuam Truc. damn. Thes. Parte II. pag. 3. Tandem probabilismus fatale accepit vulnus an. 1700., quo synodus nationalis Gallicana e toto vastissimo regno eundem proseripit, famosamque illam & pietatis euangelicae plenam Regulam de usu probabilium edidit, quam refert Natalis Alexander Theol. moral. Tom. II. in calce. Huc etiam facit libellus supplex, sanctitate & doctrina conspicuus, quem P. Thyrsus Gonzalez S. J. Praepos. Gen. an. 1702. obtulit Clementi XI., dum iam an. 1696. de recto usu opinionum probabilium perdocte scripsisset. — Ab hoc igitur tempore, Gallos secuti totius fere christiani orbis episcopi, nouam hanc moralem e suis ecclesiis eliminarent. Probabilismus in Treuiratu nostro doceri vetuit noster Serenissimus an. 1768. in Ordinat. pro Stud. Gen. Treuir. pag. 8. his verbis: Die Moralthesologie soll in Auserwählung der Meinungen demienigen stets beihalten, was den Befehlen Gottes und befehlender Obrigkeit naeher und aenlicher ist, als der sich dauon stets ausnehmen und unter mancherlei Vorspiegelungen so kuenstlich, als schmeichelhaft entziehen wollender Freiheit zu gedenken; ganz ohne das der sogenannte Probabilismus, als haette selbiger schon auf Uniuersitaeten und andern Schulen das unbenehmliche Burgerrecht, mit uebertriebener Hestigkeit zu verthaedigen, vielweniger dem uebrigen Lehrbau zum Grundstein zu legen. In was grossen Verdacht erwehnter Probabilismus bei Regenten und klugen Maennern bereits gerathen sei, was verwegene, verdamnte Saechte aus demselben schon hervorgesprossen; wie wenig ihm alle Befehlsgeber in Entscheidung der Zweifeln und Erklarung der Geboten oder Verboten aeußerlich nachgefolget, solches, und das ihm dieselben mit Sindansetzung des Wahren so so gar nicht einmal ohne Aergerniß folgen koennen, mag den Professorn selbst nicht verborgen seyn.

Additio I. Quamuis autem probabilismus necdum per solenne totius ecclesiae oraculum sit proseriptus, esset tamen merito proseribendus, ceu modus opinandi (Alexandri VII. supra cit. verbis vtor) alienus omnino ab euangelica simplicitate, sancto-

rumque Patrum doctrina &c. Exulat vero per eundem summum pontificem & Innocentium XI fere in omnibus theologiae partibus, fidei, sacramentorum, iustitiae &c. Huc pertinet prop. 1.) ab Innocentio XI. damn.: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta iustiore &c. & 2.) probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

*Additio II.* Ius naturae apud medicos etiam probabilismum exulare iubet; scilicet ut non quoduis pharmacum praescribant, sed quod pro morbi ratione, proque personae qualitate cognouerint, esse *conducibilius*. Id quod nemo vnus negauerit, aequus corporum aestimator, cui nempe corporis potior, quam fortunarum ratio est. Sane vilius argentum est auro; corporibus aurum. Quamuis igitur non est in medico, semper releuetur ut aeger, nihil tamen debet omittere, ut, quantum in ipso est, sanitatem procuret. Nulla culpa, inquit *Boetius de Trinit.* in princ., *erit medentis, si nihil eorum, quae fieri oportebat, omiserit.* Sicut medico, ait l. 6. ff. de Offic. Praesid., *imputari euentus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam (ergo a potiori, quod per negligentiam) commisit.* Et l. 8. princ. ad L. Aquil., *idem iuris est (ex L. Aquil. aegro aduersus medicum competet actio) si medicamento perperam usus fuerit.* Add. can. 26. Dist. L. & C. 19. de Homicid. Medicis ergo illud Apostoli inculcamus: *omnia probate, quod bonum est, tenete;* aut illud iuris naturae: *quod tibi non fit fieri, alteri ne feceris.* — De eo, quod circa belligerantes iustum est, videatur *Hugo Grotius de I. B. ac P. L. II. C. 23. §. 6.*

XXVI. *Absit vero, ut probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam\*. Clerus Gallic. Ibid. Adde prop. 3. ab Alexandro VIII. damn.*

\* Neque enim morosos nos exhibemus & difficiles (nam temperamentum nostrum minime est melancholicum) sed Christi philosophiam facilem & omnibus expositam volumus. Neque instar Scribarum & Pharisaeorum agimus, qui in alios austeri; in se lenissimi, colligebant fasciculos praeceptorum graues & importabiles, ac imponebant humeris alienis, quos ipsi ne digito quidem volebant attingere; quique agentes histriones & personatos onerabant legem per se fatis onerosam suis obseruariunculis, & constitutiunculis, quo sibi conciliarent opinionem eruditionis & sanctimoniae. — Profecto non sic erat vitanda scylla remissae ethices, ut ferremur in charybdin desperationis aut socordiae: non sic medendum membro luxato, ut in diuersam partem detorqueremus; sed in suam locum erat reponendum: neque sic a fronte pugnandum cum hoste, ut a tergo vulnus acciperemus incauti! Vbi ergo per infantiam & imbecillitatem animi nostri nondum ad certissima adspirare licet,

licet, sat erit utique *ad magis vero similia* eniti, & in proximis consistere. Sane nullius non refert bene vivere, ad quod Christus omnibus aditum facilem esse voluit, non inexplicabilibus disputationum labyrinthis, sed fide sincera, charitate non ficta, quam comitatur spes, quae non pudefit. —

*Scribebam in Collegio Ss. Trinitatis  
Treniris, in capite ieiunii.*

I. O. H. D.

---

Permittimus imprimi.

Treniris 26ta Februarii 1779.

C. BEISSEL VON GIMNICH

VICARIUS GENERALIS. mpr.

19

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.

A. O. H. D.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through.


A  
P  
AD  
BE  
P.  
S. TH  
U



© The Tiffen Company, 2007

# TIFFEN® Gray Scale

- A 1 Red
- 2 Green
- 3 Blue
- 4 White
- 5 Black
- 6 White
- 7 Black
- 8 White
- 9 Black
- 10 White
- 11 Black
- 12 White
- 13 Black
- 14 White
- 15 Black
- 16 White
- 17 Black
- 18 White
- 19 Black



Centimetres

Inches

## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

|      |      |       |        |     |         |       |         |       |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|

